XXIX

31

איוך:

BREVEM

De

OSCITATIONE

διάσκεψιν

SUPERIORUM INDULTU

publicè proponunt

PRÆSES

M. JEREMIAS LOSSIUS,

Born. Miſn. Medic. Studioſ.

&

RESPONDENS

GODOFREDUS Schneider/ Halâ-Saxo

Philoſ. Stud.

ad

d. 2. April. cIɔ Iɔc LXIV.

LIPSIÆ,

Stanno WITTIGAVIANO.

58700(1)

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

Fauſto
Cum OSCINE!
ΠΡΟΑΥΛΙΟΝ.

MAnum de tabulâ, *neſcio quis inſuſurrabat meditanti de Oſcitatione* διάσκεψιν. *Et ipſe* Cynthius *aures vellicabat, admonendo, ad pulpita noſtra non ſpectare talia. Nam* medicum *quid ſapere videntur. Et parum aberat quin manum retraxiſſem, niſi* Delius natator *ſuccurriſſet. Suggerebat enim limites mihi, quousq; per* Ariſtotelem in Phyſicis *progredi liceat. Clariſſimus locus eſt in lib. de ſenſu & ſenſibili, ubi dicit:* (a) Φυσικοῦ ἐστι καὶ περὶ ὑγιείας καὶ νόσου τὰς πρώτας ἰδεῖν ἀρχάς. οὔτε γὰρ ὑγίειαν οὔτε νόσον οἷόν τε γίνεσθαι τοῖς ἐστερημένοις ζωῆς. διὸ σχεδὸν τῶν τε περὶ φύσεως οἱ πλεῖστοι, καὶ τῶν ἰατρῶν οἱ φιλοσοφωτέρως τὴν τέχνην μετιόντες, οἱ μὲν τελευτῶσιν εἰς τὰ περὶ ἰατρικῆς, οἱ δὲ ἐκ τῶν περὶ φύσεως ἄρχονται περὶ ἰατρικῆς. Et alio in locò: (*b*) q. Περὶ δὲ ὑγιείας καὶ νόσου, οὐ μόνον ἐστὶν ἰατροῦ, ἀλλὰ καὶ φυσικοῦ μέχρι του τὰς αἰτίας εἰπεῖν. ᾗ δὲ διαφέρουσι, καὶ ᾗ διαφέροντα θεωροῦσιν, οὐ δεῖ λανθάνειν· ἐπεὶ ὅτι γε σύνορος ἡ πραγματεία μέχρι τινός ἐστι, μαρτυρεῖ τὸ γινόμενον· τῶν τε γὰρ ἰατρῶν ὅσοι κομψοὶ ἢ περίεργοι, λέγουσι τὰ περὶ φύσεως, καὶ τὰς ἀρχὰς ἐκεῖθεν ἀξιοῦσι λαμβάνειν· καὶ τῶν περὶ φύσεως πραγμαθέντων οἱ χαριέστατοι σχεδὸν τελευτῶσιν εἰς τὰς ἀρχὰς τὰς ἰατρικάς. *His igitur atq; aliis, quæ in conflictu producentur, ſubſidiis inſtructus, non dubitavi ſemel inviſam &* oſcitanter *hactenus tractatám revidere materiam. Quam publicæ Eruditorum* ἐξετάσει *ſubjicimus. Quod ut feliciter cedat* βλέψομεν ἄνω!

(a) Ariſtot. de ſenſ. & ſenſ. c. 1.

(b) Ariſt. lib. Reſpir. c. ult.

Sit

Sit igitur

CAPUT PRIMUM.
Definitionem nobis exhibens.

§. I.

CUm in omni tractatione τὸ ὅτι prius ſit attendendum, quàm τὸ διότι. Et Accidentium cumprimis tractatio ex mente Zabarellæ (*a*) ita debeat inſtitui, ut *Definitionem* ſequatur *cauſarum cognitio*. Nos quoque his veſtigiis inſiſtemus & hoc quidem capite Definitionem, altero verò cauſas contemplabimur.

(*a*) Zabar. de nat. ſcient. conſt. c. 33.

§. 2. Sub Definitione autem quæ *caput & ancora* Philoſophorum *aligero* (*b*) ſalutatur, *Definitionem nominis & ipſam rei eſſentiam Zabarella* comprehendit. Iccircò nos quà ὀνοματώδη, quà πραγματώδη Definitionem enucleabimus.

(*b*) Scal. Exerc. 10?. cont. Card ſect. 1.

§. 3. Dicitur autem Oscitatio ab *ore ciendo* i. e. commovendo, uti Donatus (*c*) autumat, vel quaſi *oris citatio*, uti *Taubmanno* (*d*) placuit.

(*c*) Donat. Comm. ad Ter.
(*d*) Taubm. Comm. ad Plaut. p. 613.

§. 4. Vocatur aliàs *Oscitudo*, *oscentudo* (*e*) & *Hiatus oris*. Veteribus enim Hieto idem eſt ac Oscito, ita enim *Cæcilius* utrumque conjungens, *Oscitans hietansq;* dixit, vid. *Taubmannus*. (*f*) Græcis audit χάσμη, χάσμησις, à verbo χαίνω hisco, dehisco. A quo non incommodè noſtrum germanicum diducere poterimus, dum oscitationem das gehnen/ vel Hochgehnen appellitamus. Nonnulli etiam *Oscedinem* pro Synonymo habent. Sed ſi ἀκριβολογεῖν voluerimus, diſtinguenda ſunt tanquam naturalis & præternaturalis affectio. Quæ diſtinctio apertè fluit ex verbis Agellii infra §. 6. cit. dum Oscedinem per *vitium* exponit, quando crebrius quàm aliàs conſuevit oſcitamus. Quemadmodũ & Græci inter χάσμην & χασμωδίαν diſtinguunt. Per illud oscitationem, per hoc v. crebrioré intelligentes, uti etiam χασμώδη frequenter oscitantem Diog. Laert. (*g*) dixit, noſtro idiomate illud das Gehnen/ hoc verò die Gehnſucht nominare conſuevimus.

(*e*) Martin. Lex. Philoſ.
(*f*) Taubm. Comm. ad Plaut.
(*g*) Diog. Laert. p. m. 169.

§ 5. Vocabulum autem Oscitationis eſt ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων, uti neceſſum ſit ſcatebris ſuis liberari. *Varro Atacinus* de capite reciſo uſus eſt, in illis verſiculis, quos *Fulvius Urſinus* (*h*) gemino loco citat:

(*h*) Urſin. Virgil. cum græc. collat. l. IV. Georg. & X. Æneid.

Osci-

A

Oscitat in campis caput à cervice revulſum,
Semianimesq; micant oculi, lucemq; requirunt.

Apud *Perſium* (i) de homine ob heſternam crapulam marcido ac ſomnolento legimus adhibitum:

(i) Perſ. Sat. 3. v. 59.

Stertis, adhuc, inquit, *laxumq; caput compage ſolutâ*
Oſcitat heſternum.

h. e. uti *Lubinus* (k) explicat, heſternam crapulam edormit, oſcitando exhalat, concoquit.

(k) Lubin. Comm. in Perſ. l. c. p. 750.

§. 6. Paſſivitus verò *ſegnem, pigram, deſidioſam ac ſecuram* vitam denotat. Unde *C. Sollius Sidonius* ad Philimachium ſcribit: (l) *Ecce Gaudentius meus hactenus tantùm Tribunitius*, oſcitantem *noſtrorum civium* deſidiam *vicariano apice tranſcendit. Et Seneca*: *Sed marcentes oſcitantesq; fata deprehendunt.* (m) Hinc etiam *Claudianus Mammercus* (n) oſcitationem, per *animi otium & ſecuritatem* deſcribit. Unde Cenſores olim neſcio quem, mulctare volebant, qui in jure ſtans clare nimis ac ſonorè oſcitaverat, *tanquam illud*, referente *Agelliô* (o) *indicium foret vagi animi & allucinantis, & fluxæ atque apertæ ſecuritatis.* Et factum quoq; eſſet, niſi dejeraſſet, invitiſſimum ſeſe ac repugnantem, oſcitatione *teneriq; eô vitio* victum, quod *oſcedo* appellatur, ut habet laudatus *Agellius*. Atque quemadmodum *Ammianus Marcellinus* (p) oſcitantem homunculum dixit deſidioſum: ita Græci quoque τὰς μαλθακείοντας amant vocare χάσκοντας. Et *Budæus* (q) refert ex *Chryſoſtomo* (r) quod τὸ κεχηνὸς pro ignaviâ accipiatur. τὸ κεχηνὸς καὶ ῥάθυμον τῆς διανοίας ἐπιστρέψαι. vid. Steph. (s)

(l) Sidon. l. 1. Epiſt. 3.
(m) Senec. de brev. vit. c. 2.
(n) Mammer. de Stat. an. l. 2. c. 9.
(o) Agell. Noct. Attic. l. 4. c. 20. vid. Nonium ſub Allucinari.
(p) Marcell. l. 18. & 26.
(q) Budæus p. 33.
(r) Chryſoſt. Comm in Epiſt. Timoth.
(s) Steph. in Lex. græc.

§ 7. Præterea Oſcitatio à nonnullis tàm latè ſumitur ut Pandiculationē ſimul includat. Decepti videntur Auctores iis, quæ *Pollux* ſcribit, quòd σκορδινᾶσθαι, pandiculari, ſit μετὰ χάσμης τὰ μέλη ἐκτείνειν *cum oſcitatione membra extendere*, quod tamen non ita intelligendum, ac ſi pandiculatio & oſcitatio ſemper ſint conjunctæ, ſed quòd plerumque in canibus, de quibus loquitur potiſſimum, concurrant. Aliàs diverſi ſunt actus, ita ut unus ſine altero frequenter fiat. Et eſt pandiculatio totius corporis motus, oſcitatio verò oris tantùm uti diſtinguunt Sennertus (t) & Gorræus (u)

(t) Sennert. Inſt. Med. l. 2. p. 3. ſect. 1. c. 8. p. 331.

§. 8. Neque hîc oſcitationem in *præternaturali* ſignificatione ſumi-

(u) Gorræus Def. Med. l. 6. p. 577. & 576.

ſumimus, uti morbus vel ſymptoma quoddam indigitetur. Qualis olim Romæ fuit, cùm lues inguinaria graſſaretur, ubi Oſcitantes & ſternutantes illico efflabant animam. Unde mos ſternutantibus benè precandi, & oſcitantibus *os ſignandi* ortum traxit, ſi *Paullo Monticaſſini* monacho, *Guiliermo Mimatenſi* & aliis fides habenda. Quos tamen oſcitantiæ accuſat *Jo. Savaro Claromontenſis*, (*x*) qui confirmat ex *Gregorio Magno* (*y*) neque litanias majores propterea inſtitutas, neque conſuetudinem benè precandi, & os ſignandi inde effluxiſſe. Prius facilè largiri poſſem vel *Caroli Magni* (*z*) verbis adductus, qui litanias à *Mamerco Vienſi Epiſcopo, ob incurſionem malarum beſtiarum*, inſtitutas fuiſſe adſerit. De ſternutatione quoque conſentimus, quòd mos antiquiſſimus ſit benè precandi ſternutantibus. Idque præter *Barthium* (*a*) *Plinium* (*b*) *Apuleji* verba clarisſimè teſtantur: *Crebras* (inquit (*c*) (*ei ſternutationes* movebat. Et poſteâ: *Quod cùm putaret ab eâ profectum, ſolito ſermone ſalutem ei fuerat imprecatus.* Sed tamen quòd *mos ſignandi os* inter oſcitandum tùm temporis ortum traxerit, non video quid obſtet, quin aſſerere poſſimus. Nota enim eſt Papicolarum ſuperſtitio in figurâ crucis exprimendâ, quòd in morte contra mortem, Diabolum & tartarum ipſum ſit muninimentum. vid. omnino Gretſerum (*d*.)

x) Savaro Comm. in Sill. Sidon. p. 392.
y) Greg. Magn. l. 9. ep. 45.
z) Car. Magn. de rit. Eccleſ. l 5. c. 85.
a) Barth. ad Claud.
b) Plin. l. 28. c. 2
c) Apul. l. 9.
d) Gretſ. de cruce int. Tract.

§. 9. Sed ut rem ipſam aggrediamur has omnes hic acceptiones non attendimus, quibus volupe tantùm eſt naturalem oſcitationem, ejusque cauſas ſcrutari. Quatenus nimirum affectio eſt animantium, quam ità definimus, quod ſit

§. 10. *Hiatus oris in animalibus quibusdam, ortus à facultate motrice, mediantibus muſculis, inferiorem maxillam aperientibus, ut vapores in iisdem latitantes expellantur.*

§. 11. Non procul à noſtrâ recedit opinione *Duncanus Liddelius*, (*e*) vir famigeratisſimus, qui dicit, quod oſcitatio ſit motus muſculorum faciei maxillam inferiorem aperientium, ut halituoſa excrementa expellantur. *Humanæ ſapientiæ Parens*, uti *Ariſtotelem* Magnus *Scaliger* (*f*) vocat, teſte *Budæo* (*g*) per πνεῦμα καὶ ὑγρȣ̃ κίνησιν alicubi deſcribit.

§. 12. Nobis per formam & materiam definire placuit. *Genus* enim in *Accidentium* Definitione, ex mente *Zabarellæ* (*h*) obtinet

e) Lidd. art. Med. l. 3. c. 8. p. 311.
f) Scal. Exerc. 211. ſect. 1.
g) Bud. p. 33.
h) Zabar. l. 4. de Meth. c. 14.

net

net *formæ* locum, *proprium autem ſubjectum eſt loco materiæ, & in Definitione pro differentiâ ſumitur.*

§. 13. *Forma* igitur eſt Hiatus oris, qui niſi adſit, neque oſcitatio erit. Cum quo ſimul magna conjuncta eſt reſpiratio. Nam ore aperto admodumque diducto, aërem primùm affatim oſcitantes hauriunt, atque mox halituoſum iterum efflant cum ſono ſæpè lamentabili. Unde etiam fit quòd oſcitantes minus audiant. Dicit enim Ariſtoteles *l)* ὅτι τοῦ ἐξιόντος πνεύματος ἐν τῇ χάσμῃ πολὺ, καὶ εἰς τὰ ὦτα χωρεῖ ἔσωθεν, ὥστε καὶ τῇ αἰσθήσει ἐπίδηλον εἶναι τὴν κίνησιν, ἣν ποιεῖ περὶ τὴν ἀκοήν. μάλιστα δ' ἐκ τῶν ὕπνων, ὁ δὲ ψόφος, ἀὴρ ἢ πάθος ἀέρος ἐστίν. Ἀντιπαίοντος οὖν τοῦ ἔσωθεν, εἰσέρχεται ὁ ἔξωθεν ψόφος, καὶ ὑπὸ τῆς κινήσεως καὶ τοῦ ἔξωθεν ψόφου ἐκκρούεται ἡ κίνησις. *Quod multum ſpiritus effluentis inter oſcitandum aures etiam intrinſecus ſubeat, ut motio vel ſenſu percipi poſſit, quam trudit ad aures, maximeq; poſt ſomnum. Strepitus autem vel aer, vel aeris affectio eſt. Igitur cum interior renititur exteriori illi occurrenti efficitur ut motus interioris ſtrepitus, motum exterioris contorqueat atq; offuſcet. Alibi hanc quæſtionem ita explicat.* *k)* Διὰ τί οἱ χασμώμενοι ἧττον ἀκούουσιν; ἢ ὅτι τὸ πνεῦμα ἀναπολαμβάνουσι; τὸ δὲ ἀπολαμβανόμενον πνεῦμα, περὶ τὰ ὦτα ἀθροισθὲν, κωλύει ἀκούειν. σημεῖον δέ. Ἐν γὰρ τοῖς ὠσὶ ψόνος γίνεται, ὅταν χασμησώμεθα. ἔτι δὲ καὶ φωνή τις γίνεται τῶν χασμωμένων. τοῦτο δὲ κωλυτικὸν τοῦ ἀκούειν. καὶ συμπιέζεσθαι ἀναγκαῖον τὰς ἀκοὰς, διασπωμένου τοῦ σώματος. *Cur oſcitantes minus audire valemus? An quòd ſpiritum intercludimus, qui ſe ad aures trudat: indicium quod ſtrepitus in auribus naſcitur, cùm oſcitamus? Circumventus autem, interclususq; illis ſpiritus facit ut minus audiamus. Adhæc vox oſcitantibus quædam oritur, quæ vim audiendi interpellare poteſt: & comprimi verò aures, neceſſe eſt, quoties corpus ſe diſtrahit atq; intendit.*

i) Ariſt. ſect. II. probl. 29.

k) Ariſt. ſect. II. probl. 44.

§. 14. *Materiam* quòd concernit. h. e. ſubjectum, duplex illud ſtatuendum eſt. *Subjectum Quod* & *Subjectum Quo.* Illud eſſe animalia diximus. De *hominibus* nemo eſt qui ambigat, cùm totâ die ſenſus id deprehendant. De *canibus* teſtantur *Ariſtoph. Scholiaſtes* & *Suidas* qui dicunt quod χάσμη conjuncta ſit cum σκορδινᾶσθαι, hoc autem propriè de canibus dici autumant. Ita enim ſcribit; οἱ δὲ κυρίως τὸ σκορδινᾶσθαι φάσιν ἐπὶ τῶν κυνῶν τῶν ἐξ ὕπνου ἀνιστα-

ἀνιςαμβρῶν, ὅταν τὰ μέλη καὶ ὅλως αὐτὸς (μετὰ χάσμης quod paullò poſt ſequitur) διατείνωσιν. Unde etiam Germanorum jocus in eos qui ſonorè nimis oſcitant: Die faulen Schafhunde/ wie ſie ihren Morgenſegen beten. ac ſi proprium eſſet canum. De *equis, felibus* atque aliis ipſa teſtatur experientia.

§. 15. Notanter tamen ſignum particulare addidimus. Tantū enim nobis non arrogamus ut καθ' ὅλου id adſerere conni-tamur. Quis enim vidit omnia animantium genera & ſpecies? Præterea ſi in *l*) *Peripateticorum* placita compromittimus, qui piſcibus (exceptis, ſi memini, *Citaceis*, de quibus *Ariſtoteles m*) videatur) denegant reſpirationem, (unde & muti & *Pythagoræ contubernales* dicuntur, fortè quod ſymbolum ejus fuit ἰχθύων μὴ γεύεσθαι, & ejus Diſcipuli per biennium propter legem ἐχεμυθίαν ἀκουστικοὶ vocabantur. vid. *Plutarch. n)* & *Agell. o)*) Sanè oſcitationem iis adjudicare non poterimus. Siquidem, quod §. 13. dictum, magna reſpiratio in oſcitatione perficitur. vid. *Platerus p)* Dicis cum hodiernis analogum tamen eſſe reſpirationis organon, tùm & analogicam ipſis oſcitationem concederem.

l) vid. Gualt. Charlet. Exerc. Anat. p. 151. Ariſt. de reſpir. c. 3.
m) Ariſt. de reſp. c. 12.
n) Plut. συμποσ. l. 8. q. 8.
o) Agell. l. 1. c. 9. Noct. Att.
p) Fel. Plat. prax c. 5. de deprav. reſp. p. 461.

§. 16. Subjectum Quo diximus os, vel potius *maxillam inferiorem*, quæ ſola diducitur. Nullum enim animal *mandibulam* movet *ſuperiorem*, ſi exceperis *Crocodilum* qui, teſte *Voſſio q)* ſuperiorem commovet, uti è volatilibus ſolus id *Pſittacus* facere perhibetur. vid. *Francius. r)*

q) Voſſ. de Idol. l. 3. c. 80. p. 1159.
r) Franz. in Hiſt. Sac anim Part. 2. c. 17.

§. 17. Reliqua differentiæ verba cauſas in ſeſe continent. Inter quas *Efficiens principalis* eſt Facultas motrix. *Minus principalis* eaque vel *impulſiva* ut vapores, vel *inſtrumentalis*, ut muſculi. *Cauſa Finalis* evacuatio halituoſorum vaporum. De quibus ſubſequenti capite.

CAPUT ALTERUM.

Cauſas Oſcitationis propinans.

§. 1.

HIc nonnulli ad *Naturam* confeſtim fugiunt, eiq; hunc oris hiatum adſcribunt. Quòd, quemadmodum aliàs provida mater ſit, & omnia nitatur diſpellere quæ nocitura videntur, ita & in hac affectione ſui non obliviſcatur officii. Ita enim *ſternutationem* excitat, teſte Sennerto *a)* ut cerebrum purgetur. *b)* Ita

a) Senn. Inſtit. med. l. 2. p. 3. ſect. 2. c. 4.
b) De ſternut. tract. Schakii cras prodibit.

Ita pandiculationem movere dicitur, ad expellendos vapores in muſculis hærentes.

§. 2. Sed quoniam nimis eſt *generalis*, ideoque paullò propiorem inquirendam duximus. Videtur autem cauſam Principalem eſſe nullam aliam quàm *δύναμιν κινητικὴν*, Facultatem motricem. Ea enim *activè* concurrit, dum inferiorem maxillam movet, & faciem ita diducit, ut vapores è muſculis egredi poſſint. Ab *Ariſtotele* hæc facultas inter ſenſus aliquo in loco refertur. Eſt autem deſcribente *Voſſio c*) *facultas animalis cupiditatem & affectum conſequens, per quam vel totum corpus, vel pars ejus*, (uti in hac affectione, inferior maxilla) *locum mutat*. Sedem ſuam in cerebro habet conſentientibus *Fernelio d*) *Conimbricenſibus*, *e*) *Greg. Nyſſeno f*) & plerisque Medicis. Ibi enim eſt Principium nervorum, adſtruente Highmorô *g*) anatomicô celeberrimô, aliisque, quemadmodum etiam *αὐτοψία* illud evidentisſimè teſtatur.

§. 3. Notandum tamen quòd *diſpoſitivè* ſeu *imperativè* quoq; concurrant *Voluntas*, in brutis verò *Appetitus ſenſitivus, & Phantaſia*. Unde quoque diximus, quod hæc facultas affectum ſequatur. Niſi enim voluntas acceſſerit, itemque Phantaſia, neque facultas motrix ſuum faceret officium. Cùm enim hæc oris diductio fiat mediantibus muſculis; omnes verò muſculi motu moveantur animali vel voluntariô, uti conſentiunt pleriqne, queis Medicina jam dudum faſces contulit, *Spigelius h*) *Riolanus i*) neceſſe eſt, ut prius voluntas & appetitus compromittant, vel ſaltim facultati motrici non repugnent.

§. 4. Ipſa verò *Phantaſia* movet ſpiritus animales, ut dicto citius influant. Hinc etiam Imaginatio vel ſola oſcitationem cauſatur, ita ut vel videndo tantùm vel cogitando oſcitationem, ipſi quoque oſcitemus. Unde *πολυθρύλλητον* dicterium: *Uno oſcitante, oſcitant omnes*, quod moraliter explicatum vide ſis ap. *Eraſmum*, *k*) de ſceleratis hominibus, quòd unô ſcelus audente, ſequantur reliqui.

§. 5. Variæ quidem à variis adſignantur cauſæ hujus rei, & multa deprehenduntur Auctorum divortia. Alii enim ad *συμπάθειαν* confugiunt, uti *Alexander Aphrodiſ. l*) Quemadmo-

c) Voſſ. Idol. l. 5. c. 37. p. 912.
d) Jo. Fernel. l. 5. univ. Med. c. 10. p. 111.
e) Conimbr. de Gen. & Corr. c. 5. qu. 1. art. 3.
f) Nyſſ. l. 4. Philoſ. c. 16.
g) Highm. Anat. disq. l. 3. part. 1. c. 6. p. 215.
h) Spigel. de Hũ. corp. fabr. 2. l. 4. c. 1. p. 80.
i) Riolan. Anthrop. l. 5. c. 15.
k) Eraſm. χιλιάδ.
l) Aphrod. probl. 55.

m) Ariſt. ſect. 7. probl. 6.

dum & ipſe *Ariſtoteles m*) ſub ſectione τ̃ ἐκ συμπαθείας hanc movet quæſtionem. Qui tamen paullò deſcendit & memoriæ hoc tribuit, quod moveamur eâ parte, quoties reminiſcimus, ὅταν γὰρ μνησθῇ, inquit, κινεῖται τοῦτο τὸ μέρος. Verùm enim verò quæ ratio demum eſſet in animalibus memoriâ deſtitutis? Novimus enim canes, qui quoties vident homines oſcitantes, ſimul & ipſi oſcitant. Præterea neque Memoriæ officium eſt Spiritus movere, quæ condit & ſervat tantùm, quæ à ſenſibus ſunt oblata, ut ſuo tempore, tanquam ex penu, depromi poſſint.

n) Fracaſt. de Anthip. c. 9.
o) Senn l. cit.
p) Voſſ. Idol. l. 3. cap. 22. p. 834.
q) Camer. hor. ſucc. cent. 1. cap. 5.
r) Lemn. in occult. nat. l. 4. cap. 7.
s) Keckerman. curſ. Phil. Diſp. qu. 11.
t) Voſſ. Idol. lib. cit.

§. 6. Rectius igitur cum *Hieronymo Fracaſtorio* n) *Sennerto* o) *Voſſio* p) & aliis *Phantaſiæ* hoc adſcribimus. Cujus quanta vis ſit vel è *Noctambulonibus & Ephialticis* adparet. Vide tamen ſis *Camerarium* q) *Lev. Lemnium* r) & *Keckermannum.* s) Phantaſia enim hanc à ſenſibus oblatam ſibi ſpeciem firmiter imprimit, & propterea ſpiritus in cerebro movet, eosque acriter ſtimulat, ut in eam partem perquam vis motrix tale opus exequitur, h. e. in muſculos faciei influant. Unde hæc oriri ſolet inclinatio ad idem agendum. Et notum eſt aliàs, quod ſpecie quadam conceptâ Spiritus naturâ ſuâ ferantur ad id, quod concipitur vid. *Voſſius t*) Quod ii potiſſimum teſtabuntur, qui venereis cogitationibus multùm indulgent. Similis quoque inclinatio eſt, quando, mingentem quempiam videntes, ad mingendum movemur. Et poteſt oſcitatio quidem citius fieri, quàm motus alii, propinquiores enim Phantaſiæ ſunt muſculi, & ſpiritus poſſunt eò velocius influere, ut ſæpe vix cogitantibus oſcitatio præſto ſit.

§. 7. Interim tamen & ſæpè quoque vapores ſimul adſunt, de quib. §. ſequ. ut ita & Phantaſia & vapores concurrant.

§. 8. *Cauſa minus principalis eaq; impulſiva*, ſunt *vapores*, qui è ſtomacho adſcendentes in muſculos faciei ſe recipiunt, atq; ſi cumulantur moleſti ſunt. Eandem tibiam nobiscum inflat *Galenus* u) *oſcitare*, inquiens, *& pandiculari contenta aliqua in muſculis, per quos tales fiunt motus, quos pandiculationem & oſcitationem nominamus, vel humiditate flatuoſâ, vel ſpiritu vaporoſo fieri, eſt à nobis demonſtratum*, Ubi humiditatem & vapores conjun-

u) Gal. in aph. 7. comm. 37.

git

git Galenus. *Sennertus* x) *vapores halituoſos* in muſculorum ſpatiis colligi pronunciat. Peccant autem non tàm acrimoniâ, eôdem adſerente Sennertô, quàm copiâ potius.

§. 9. Iſti vapores autem à multis iisque variis rurſus oriuntur cauſis. Nolumus autem hic eſſe nimis curioſi, unde tanta vaporum coacervatio, ut crebrior illa oscitatio præſagium morborum, ſuſcitetur? Ita enim *Jacob. Hollerius Stempanus* y) ad *Hippocratem* z) commentatur quod, ἀλύκη (ſive per *pandiculationem* cum Cæl. Rhodig. a) ſive per *jectigationem* cum Galeno b) exponas, hic non curo) & χάσμη febres denuncient, niſi occurratur. Neque hic quærimus, cur tempore Plinii oscitatio in enixu lethalis fuerit? Ita enim *Plinius* c) & ex eo *Agellius* d) ſcribit: *Oscitatio in enixu lethalis eſt, ſicut ſternuiſſe in coitu abortivum.* Neque enim animus eſt in alienam meſſem manus immittere, & cauſas ſcrutari præternaturales, ut ſupra ∫. 9. c 1. dictum.

§. 10. *Naturaliter* autem plerumque vapores coacervantur, ſi *ſomnolenti* ſumus, unde *Plutarchus* dicit e) χάσκομαί τε ὑπνώδης. Et quidem vel *ante ſomnum*, quod crebrius fit admodum. Tùm enim vapores & exhalationes crebriores ſunt qui ad cerebrum tendunt, ut poſtmodum frigiditate cerebri condenſati ſenſus obſtruant, & ſpirituum influxum ſufflaminent. Hinc facilè id accidit ut ſimul etiam muſculi iisdem repleantur, inprimis ſi ſomno repugnare cogimur, & vapores liberius permeare non poſſunt. Vel *poſt ſomnum.* Nam dum quieſcimus nec movemur, haud pauci colliguntur vapores. Siquidem concoctio ſtomachi nobis quieſcentibus perficitur, unde magna ſæpè exhalationum nubes condenſatur. Quæ poſtea ſi evigilamus, vis motrix per diductionem conatur expellere. Unde & manè plerumque ſimul *pandiculatio* ſolet ſuboriri, quæ nobis maximè jucunda eſt.

∫. 11. Poſt *nimium motum & defatigationem* valde quoque familiaris eſt *oscitatio*. Nam intentior ex motu calor facit, ut ex ſtomacho, concretisque membrorum humoribus quaſi liqueſcentibus, & venarum fumantium ſanguine, vapores ſe un-

x) Senn. l. ſupra c.

y) Stemp. Comm. ad. Hipp. aph. 57. l. 7. p. 452.

z) Hipp. l. cit.

a) Cæl. Rhodig. l. 11. c. 4.

b) Galen. Com. ad aph. Hipp. cit.

c) Plin. l. 7. de nat. anim. c. 6.

d) Agell. l. 3. Noct. Attic. c. 16.

e) Plut. de Aud.

dique

dique attollant, & muſculorum finibus ſe recondant. Quam rem ſic *Ariſtoteles f*) expreſſit: ἔτι καὶ ἐκ κόπων ἐνίων ἀναθυμίασις· ὁ μὲν γὰρ κόπος συντηκτικόν. τὸ δὲ σύντηγμα γίνεται ὥσπερ τροφὴ ἄπεπτος, ἂν μὴ ψυχρὸν ᾖ. *Præterea exhalatio fit a laboribus nonnullis. Nam fatigatio vim habet liquefaciendi, id autem quod colliquatum niſi frigidum fuerit, vicem præſtat alimenti incocti.*

f) Ariſt. l. de ſomn. & vigil. c.3.

§. 12. Nec parum huc facit *otium*, *languor & pigritia*, quæ κατ' ἐξοχὴν quaſi oscitationis cauſa ſalutatur. vid. ſupra §. 6, cap. 1. otio enim, juxta *Venuſinum*, corpus corrumpitur.

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus,
Et capiant vitium, ni moveantur, aquæ.

Nam ſi negligimus omne corporis exercitium, concoctio malè perficitur, unde multitudo cruditatum & halituum è ſtomacho adſcendunt. Neque quempiam invenies Medicorum, qui commotionem corporis non ſuadeat, ut cibi poſſint concoqui penitiùs. *g*)

g) v. Ranzov. de conſ. valet. c.9. p.26.

§. 13. Hinc etiam poſt *cibum* adſumtum crebrius accidit. Poſt cibum enim ἀθρόον πολὺ καὶ σωματῶδες ἀναφέρεται, ut inquit *Ariſtoteles h*) inprimis ſi cibis uſi fuerimus, qui crudas excitant exhalationes, veluti allium, cœpæ, & id genus alia.

h) Ariſt. l. de ſomn. & vig. c. cit.

§. 14. *Frigus* quoque non ultimô locô reputandum erit. Nam frigidô nimis aëre pori paulliſper obſtruuntur, unde inſenſilis tranſpiratio impeditur quod ἀδιαπνευστίαν dixeris, & vapores cumulantur, quos per oscitationem dispellere conamur.

§. 15. Mirum autem eſt, quod crebrius oscitemus ſi alicujus præſentia *tædio* ac ſenio nobis eſt; vel ſi cum *tædio* auſcultamus. In diverſas hic Auctores abire ſententias notum eſt, diverſas conſtituendo rationes. Nobis non displicuit ita rem exponere. Dicimus quod objectum nobis tædioſum ſpiritus animales averſentur. Unde ut longiſſimè abſint ab eô, quod moleſtum eſt, recipiunt ſe verſus cor; quemadmodum contra ad membra ruunt exteriora ad amplectendum illud, quô gaudemus & lætamur. Quod ubi factum vapores poſſunt liberius

rius

rius adſcendere, dum ſpiritus verſus cor collecti eos non diſſipant aut diſturbant.

§. 16. *Cauſa inſtrumentalis* ſunt *muſculi*, ὄργανα τῆς κινήσεως καθ' ὁρμὴν, uti à *Galeno i*) deſcribuntur. Et quidem inferiorem maxillam moventes. Quorum aliàs quinque paria referũtur ab *Adriano Spigelio k*) ſecundùm quinque motus, ut *Crotaphytæ*, *Digaſtrici*, *Maſſeteres* &c. In oſcitatione alterum par *biventre* ſuas præcipuè operationes edit, quod à nonnullis γραφιοειδὲς appellatur, vid. *Gorræus l*) Hi duo enim deorſum maxillam movent, & os aperiunt. Quibus *Jo. Riolanus m*) *muſculum latum* adjungit, qui oritur ex ſuperiore parte ſterni, & inſeritur ad baſin maxillæ inferioris, collum totamque faciem obvolvens. Interim tamen & *Crotaphytæ* quoque concurrunt, qui claudere rurſus maxillam connituntur, ne digaſtrici os admodum dilatent.

i) Gal. l. 1. de mot. muſc.
k) Spigel. de hum. corp. fabr. l. 4. c. 5. p. 93.
l) Gorræus Defin. Med.
m) Jo. Riol. Anthrop. l. 5. c. 15. p. 21.

§. 17. Hi muſculi autem quomodo maxillam moveant, tàm clarum profecto non eſt. Unde *Galenus n*) ingenuè fatetur, ſe neſcire quomodo muſculi moveantur. *Adrianus Spigelius o*) dicit, quod hi muſculi circa infernas maxillæ partes, *veluti ad trochleam* reflectantur. Ad quod præſtandum à Natura membrana quædam adjacentibus ſit adnata, quæ tendinem illum inter duos ventres interjacentem involvat & ſpeciem trochleæ exprimat.

n) Gal. de form fœt. c. 5.
o) Spigel. l. ſupra c.

§. 18. Sed an naturâ ſuâ tanta movendi vis muſculis ſit innata, ut vel minimo nervi impulſu motuve citra ſpirituum influxum moveant membra? agitatur à nonnullis controverſia. *Gualterus Charleton p*) opinatur quod à veterum opinione de ſpirituum animalium in organa motoria *Actinobolismo* ſive *Deradiatione Hormetica* temerè recedendum non ſit. Idque multis probat rationibus. Inter alias autem in ſolis quaſi diſcum omnibus id conſpiciendum exponere connititur; ita enim inquit: *Quod motus ſpontaneus animalium per influxum ſpirituum fiat id oculis aliquo modo conſpici poteſt in Limace, phiala vitrea incluſa; animadvertente Regio. Nam ſimul atq; illa prorepere incipit, mox ſpiritus alii atq; alii cum bullis conſpicuis à cauda ad*

p) Charl Exerc. Anat. II. p. 216.

corpus medium, & inde ad caput perpetuo propellantur. Simul atq; vero Limax quieſcit mox bullularum à caudâ ad caput fluentium motus etiam ſiſtitur. Si illa deinde rurſus moveatur, mox etiam bullularum iſtarum conſpicitur à cauda ad caput progreſſus, ut quaſi circulatio quædam ſpirituum fiat. Nos addimus quod inde clariſſimè neceſſitas Spirituum pateſcat, dum obſtructo nervorum principio totus ſufflamminatur motus. Quemadmodum in *Ephialticis* id fieri manifeſtum eſt, ubi ſi vapores in cerebrum ſe ingerunt, id accidit, ut reſpiratio intercipiatur, & totus motus impediatur.

§. 19. Modum autem influendi curioſè ſatis exponit *Kenelmus Digbæus*, q) adſerens quod cerebrum ita à natura conſtitutũ ſit, ut facilè intumeſcat & viciſſim ſubſideat. Quo præſuppoſito illud ſequi neceſſario, quod ſimul etiam nervi & ramuli in muſculis diffuſi, & per conſequens quoque caro intumeſcat. Nam dum nervorum pori omnes verſus cerebrum ſunt aperti, intumeſcente cerebro humor ſpiritusque in cerebro contentus exprimitur cogiturque in nervos & ramulos, qui jam antea pro pellium ſuarum duritie ſpiritibus ſatis inſtructi, facta hâc acceſſione intumeſcunt durioresque evadunt. Intumeſcentibus autem nervis nervorumque ramulis intumeſcit quoque muſculi caro. *Porro*, inquit *Digbæus*, *cùm utrumq; muſculi extremum unum quidem majori, alterum minori oſſi infixum ſit; cumq; minor reſiſtentia ſit ex ea parte quâ os minus eſt adeoq; facilius mobile, intumeſcente muſculo fieri non poteſt, quin os minus verſus id quod majus eſt adducatur.* Ita motum voluntarium Digbæus exponit, an cum veritate congruat cuique diſpiciendum permittimus.

q) Digbæus de immort. anim tract. I. c. 34. p. 375.

§. 20. Super eſt adhuc *Cauſa finalis* quæ eſt *noxiorum vaporum evacuatio*; & ſanitatis defenſio. Id quod clariſſimè teſtatur *Galenus* r) dum adſerit quod *purgamentorum expellendorum cauſa*, ſingultus, *oſcitatio*, & pandiculatio proveniant.

r) Gal. l. 6. Hipp. de morb. vulg. comm. 5.

§. 21. Iſti vapores autem duplici modo expelluntur, tùm per poros, tùm per ſpirationem. Per poros equidem quando diſtenditur muſculi caro & pori aperiuntur, tunc enim liber

meatus

meatus vaporibus conceditur, ut facilius in auras abire muſculumque gravedine liberare poſſint. Per magnam raramq; reſpirationem quoque diſpelli vapores docet *Gorræus s)* qui s) Gorr. Def. dicit quod tùm vino, tum magnâ reſpiratione oſcitationes Med. X. p. 655. crebræ diſcutiantur. Cum quo *Hippocrates t)* conſentit, ſcribens Medicatorium oſcitationum continuarum longum anhelitum eſſe. t) Hipp. l. 6. τῶν ἐπιδ. An autem vino quoque oſcitationes pereant, quod Gorræus dicit, noſtri non eſt diſputare. Videtur idem ſentire *Hippocrates: u)* Ἀλύκη, χάσμη, φρίκη, inquit, *οἶνος, ἴσος ἴσῳ πινόμενος, λύει τὴν νοῦσον.* u) Hippoc. l. 6. Aph. 56.

§. 22. Sed hæc de oſcitatione ſufficiant. Atque ſic

Ancora de prora jacitur, ſtant littore puppes.

Quod ſi forte oſcitanter aliquid conſcriptum reperiatur, de quo non dubitamus, veniam nobis à B. L. precamur, cum inter oſcitandum potiſſimùm & feſtinanter has lineolas exaraverimus.

MANTISSA.

Fruſtra ſunt qui ſignum crucis inter oſcitandum exprimentes, neſcio quam ſibi promittunt efficaciam. Quantitatis enim nulla eſt efficacia. Diximus ſupra c. 1. §. 8. quod videatur *ortum traxiſſe* ab eo tempore quo *lues inguinaria* Romæ graſſabatur. In quâ opinione nos confirmat *Gretſerus l. c. de S. cruce c. 26. l. 4.* dum ſcribit quod aliàs uſitatum fuerit valedicentibus & jam morituris os ſignare. Uti *de Gundoaldo filio Regis Clotharii* jam ad ſupplicium abeunte adſerit id ipſum *Aimoinus l. 3. de geſt. Franc. c. 71. v. Greg. Turonenſ. l. 7. hiſt. Franc. c. 38.* Iterũ tamen ſuſpenſos reddit dum è *Siffrido. Presbyt. Miſn. l. 1. Epit. Hiſt.* adſtruere contendit, quod Ethnici oſcitaturi confeſtim ſignum crucis ſibi imprimere feſtinaverint. Sed tamen nondum video quomodo probet. Si quis autem in hac te meliora docuerit, eid. facilè aſſurgemus.

II.

Eodem fundamento deſtruitur eorum opinio qui verbis & carminibus medendi vim attribuunt. Quorum magnum collegit catalogum *Cælius Aurelianus Chronic. c. 1. Myreps. ſect. II. antid. 405. & 419.* Ita enim *Q. Serenus Sammonicus, junioris Gordiani*

Præ-

Præceptor juſſit ad ſanandum hemitritæum chartam lino includere, cui inſcriptum ſit. *Abracadabra*, inde eam de collo ſuſpendere & ſingulis diebus ordine retrogrado literam demere. Similiter nonnemo verſu illo

Fecana, Cageti, Daſenes, Hebare, Gedaco

contra febrim uſus eſt.

α & ω.

DUm Murciæ juratus alter *oſcitat*,
Non *oſcitanter* aut perinde res tuas
Amice agis. Teſtatur hæc, fauſto oſcine
Quam promis & defendis, *Oſcitatio*.
Si temet arguat hinc quis *oſcitantiæ*,
Vel ipſe Apollo hunc *oſcitantem* dixerit;
Cui quippe lauream mereri induſtria
Tua viſa nuper. Perge, te expectat diu
Orcheſtra honoris major, & famæ tuba.

Ita

Amico ſuo intra ſemeſtre ſpatium ter & feliciter diſputanti gratulatur

D. PAULUS AMMAN,
Facult, Med, Aſſeſſor.